

## CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

*Books of enduring scholarly value*

### Classics

From the Renaissance to the nineteenth century, Latin and Greek were compulsory subjects in almost all European universities, and most early modern scholars published their research and conducted international correspondence in Latin. Latin had continued in use in Western Europe long after the fall of the Roman empire as the lingua franca of the educated classes and of law, diplomacy, religion and university teaching. The flight of Greek scholars to the West after the fall of Constantinople in 1453 gave impetus to the study of ancient Greek literature and the Greek New Testament. Eventually, just as nineteenth-century reforms of university curricula were beginning to erode this ascendancy, developments in textual criticism and linguistic analysis, and new ways of studying ancient societies, especially archaeology, led to renewed enthusiasm for the Classics. This collection offers works of criticism, interpretation and synthesis by the outstanding scholars of the nineteenth century.

### Pindari opera quae supersunt

One of the foremost scholars of his day, the German classicist August Böckh (1785–1867) was chosen by the Berlin Academy of Sciences as the first editor of the monumental *Corpus inscriptionum graecarum*. Before that he had published this groundbreaking edition of the extant works of the Greek poet Pindar (c.522–c.443 BCE) in two volumes, the second being split into two parts. This first volume, published in 1811, contains the only complete surviving works of Pindar, the victory odes (*Epinikia*), written to celebrate athletic successes at the Olympic and other games. In addition to the editor's Latin preface and critical notes, this volume also contains his important treatise on Pindarian metrics, *De metris Pindari*, in which he establishes a close connection between Greek music and verse, elucidating the Greeks' own statements about rhythm and providing a systematic basis for the study of Greek verse.

Cambridge University Press  
978-1-108-06358-6 - Pindari opera quae supersunt: Volume 1  
Edited by August Böckh  
Frontmatter  
[More information](#)

---

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library and other partner libraries, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection brings back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cambridge University Press  
978-1-108-06358-6 - Pindari opera quae supersunt: Volume 1  
Edited by August Böckh  
Frontmatter  
[More information](#)

---

# Pindari opera quae supersunt

VOLUME 1

EDITED BY AUGUST BÖCKH



CAMBRIDGE  
UNIVERSITY PRESS

Cambridge University Press  
978-1-108-06358-6 - Pindari opera quae supersunt: Volume 1  
Edited by August Böckh  
Frontmatter  
[More information](#)

**CAMBRIDGE**  
UNIVERSITY PRESS

University Printing House, Cambridge, CB2 8BS, United Kingdom

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

Cambridge University Press is part of the University of Cambridge.  
It furthers the University's mission by disseminating knowledge in the pursuit of  
education, learning and research at the highest international levels of excellence.

[www.cambridge.org](http://www.cambridge.org)

Information on this title: [www.cambridge.org/9781108063586](http://www.cambridge.org/9781108063586)

© in this compilation Cambridge University Press 2013

This edition first published 1811  
This digitally printed version 2013

ISBN 978-1-108-06358-6 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect  
the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published  
by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or  
with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

ΠΙΝΔΑΡΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

P I N D A R I O P E R A  
Q V A E S V P E R S V N T.

TEXTVM IN GENVINA METRA RESTITVIT  
ET EX FIDE LIBRORVM MANVSCRIPTORVM  
DOCTORVMQVE CONIECTVRIS RECENSVIT  
ANNOTATIONEM CRITICAM SCHOLIA INTEGRA  
INTERPRETATIONEM LATINAM  
COMMENTARIVM PERPETVVM ET INDICES  
ADIECIT

AVGVSTVS BOECKHIVS  
IN VNIVERSITATE LITTERARVM REGIA BEROLINENSI  
ELOQ. ET POES. PROF. PVBL. ORD.

TOMVS PRIMVS.

L I P S I A E  
APVD IOANN. AVGVST. GOTTLOB WEIGEL  
MDCCCXI.

Cambridge University Press  
978-1-108-06358-6 - Pindari opera quae supersunt: Volume 1  
Edited by August Böckh  
Frontmatter  
[More information](#)

---

V I R O  
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
SIGISMUNDO CAROLO IOANNI  
DE REIZENSTEIN

AVGVSTO MAGNO DVCI BADARVM  
IN GVBERNANDA REPUBLICA  
SVMMO OLIM MINISTRO AMICOQVE  
BADENSIS ORDINIS FIDEI  
EQVITI PRIMARIO  
ANTIQVISSIMAE CELEBERRIMAEQVE  
VNIVERSITATIS LITTERARIAE  
RVPERTAE CAROLAE HEIDELBERGENSIS  
NVPERO RESTITVTORI  
LIBERALI MVNIFICO SAPIENTI  
FORTVNAE SVAE BENEVOLENTISSIMO QVONDAM AVCTORI  
HOC OPVS PINDARICVM  
SVMMAE VENERATIONIS GRATIQVE ANIMI TESSERAM  
CONSECRAVIT

EDITOR.

Cambridge University Press  
978-1-108-06358-6 - Pindari opera quae supersunt: Volume 1  
Edited by August Böckh  
Frontmatter  
[More information](#)

---



---

## PRAEFATIO EDITORIS.

---

**A**nni elapsi sunt fere tres, ex quo me partim meorum ratio studiorum, partim amicorum consilia impulerunt ad commentationem de metris Pindari conscribendam et edendam. Qua in re occupatus quum animo reputarem, quantos post Heynii sive recensionem sive recognitionem Pindaricae lectionis fontes aperuisset Godofredi Hermanni ingeniosa solertia, et quam dissimilia germanae divinorum carminum formae, qualem ex iis, quae de numeris poetae inveneram, licebat augurari, divulgata adhuc exempla essent: coepi de nova editione cogitare ita quidem adornanda, ut textum ex codicibus potissimum manuscriptis correctum in sua metra restituerem, ac, quae mea opera essent novata, tum commentationibus aliquot ad metricam praesertim rem pertinentibus, tum criticis animadversionibus vindicarem a doctorum reprehensione, neque adderem praeterea quidquam. Sed redemptore librario rogante, ut interpretationem Latinam et Graeca Scholia mea manu emendata, deinde commentarios perpetuos, quibus Pindari carminibus, qua passim indigent, affunderetur lux, subiicere ne dedignarer; quum nefas ducerem, meam obstinationem, sive laboris impatientiam dixeris, honestissimi viri consiliis et bonarum litterarum incremento obesse, huic quoque negotio, quamvis fastidii pleno, malui me accingere, quam omittere quidquam, quod huic operi posset esse ornamento aut studiosis utilitati.

Ecce nunc tibi offertur ipse poeta seorsim excusus, nullo alio additamento, quam quod Heyniana lectionis varietatem in margine subnotavi, quo facilius perspicere posset, quid praeter mutatam versuum descriptionem nobis debeat Pindarus, neve meas emendationes Reiskiorum more auctori viderer clam obtrudere velle. Proxime sequentur annotationes criticae et, quae his praemittendae sunt, dissertationes, in quibus Graecorum metra nova ratione, quam in vernaculo libello significavi magis quam proposui, ex suis causis derivabo, Pindaricos vero numeros accuratius explicabo, quam primo feci impetu, spectatis etiam modis musicis pro numeri et dialecti diversitate variis: quae res ab Hermanno in egregia commentatione de Pindari dialecto inchoata maioribus impedita est difficultatibus, quam quae a primo inventore potuerit absolvi. Haec igitur una cum textu prius continebit volumen: alterum, quae restant, complectetur omnia, ne fragmentis quidem omissis, quamvis eruditissimorum hominum opera perpolitae eximie. Interim, ne harum litterarum amatores dubii haerent, quibus usus subsidiis quaque via ingressus in hac textus editione tot lectiones mutavisset, binis academicis libellis auctoritate Universitatis Heidelbergensis scriptis quaedam mearum emendationum specimina, uberius explicitis rationibus, publici feci iuris: unde si nonnulla, postulante proposito, aucta repetii, hoc ne graviter ferant, lectores rogatos velim.

Sed accedenti ad rationem huius operis a me suscepti reddendam, hoc ante cetera dicendum est, Pindari editionibus et interpretibus fere omnibus usum me pleraque damnasse silentio, quae minus apposite aut perperam disputari videbantur: etenim si tradere ista vellem, verendum esset, ne et mihi et aliis taedium facerem, quum inter Graecos poetas vix ullus tanto futilium coniecturarum acervo iaceat obrutus, quanto Pindarus et Euripides. Quid quod

## E D I T O R I S.

VII

operae pretium non est certo tramite incedentibus disputare contra eos, quos imperitia artis metricae, quae dux esse debet itineris, tota via errantes deprehenderit? Ubi autem aliquid ab alio mutuatus sum, fatebor candide: tamen multa, quae ipse excogitaveram, a decessoribus occupata posthac reperi; quapropter, si fortè in edendis mox commentariis emendationem quampiam ab alio iam productam memoria lapsus mihi vindicavero, ea non magis aliena, quam mea esse, si non litigiosis quibusdam magistris, at certe aequis harum rerum videbitur iudicibus. Praeterea si ad veterum editionum, Cratandrinae, Brubachianae, Morellianae, Stephanianarum, Commelinianae aliarumque auctoritatem nusquam provocabo, nemini hoc displicebit, quum ante Schmidianam omnes ex Aldina et Romana sint expressae; pauca ii, qui eas curabant, de coniectura mutaverunt: inter quos primo loco appellandus est Cratandrinae emendator, Iacobus Ceperinus, in Tigurino gymnasio Graecae olim linguae professor: quem exceperunt Erasmus Schmidius et Oxonienses editores. At longe plurimum ad emendandum Pindarum nobis profuit diligens librorum manuscriptorum usus, quos Pindari editores magis, quam par est, neglexerunt, quod nullius fere pretii esse iis videbantur: ego vero, quum intellexissem, inexpectatam inde salutem poetae afferri posse, non modo librorum iam collatorum varias lectiones diligentius excussi, sed in novis copiis conquirendis neque operae nec sumptibus pepercì, et laetor, doctorum benignissimis promptissimisque studiis adiuto non defuisse eventum. Etenim praeter editiones principes, Aldinam et Romanam, praeter ternos Palatios, quinos Bodleianos, praeter Cizensem, Lipsiensem, Gottingensem, binorum Moscoviensium, Hafniensis, Cygnei et in prima Olympica oda septem Marcianorum librorum usum liberalissimi Heynii debemus beneficio. Horum lectiones a sene humanitate

nescio an doctrina magis insigni, Iacobo Morellio excerptae, quum in meas manus venissent, Morellius a me rogatus in cumulum officii adiecit varietatem eorundem codicum ex Pythiis et Nemeis collectam. Porro ipse perscrutatus sum librum Guelpherbytanum, ab humanissimo bibliothecae praefecto, Ern. Theod. Langero ad me missum: Leidenses vero libros duos Ge. Henr. Moser, auditor olim dilectissimus, Parisinos tres iuvenis doctus et accuratus, L. A. Schickardt, Suevus, me petente evolverunt: Augustanis olim, nunc Monacensibus libris uti licuit quinque, quorum lectiones maximam partem suppeditavit Frid. Jacobsius, amicus obsequentissimus meique amantissimus: tertii accurate factam collationem God Hermanno acceptam refero. Florentinos contulit Franciscus de Furia, bibliothecae Laurentianae et Marucellianae praepositus spectabilis. Postremo in bibliotheca Rhedigeriana Vratislaviensi duos Pindari codices servari compereram, quorum alterum in meum usum comparavit Schummelias, meritissimus eius bibliothecae praefectus; alterius foedissime scripti specimen idem misit, ex quo vix dignum esse cognovi, qui compararetur. His igitur viris, qui tanto et mei et litterarum studio votis meis satisfecerunt, gratias in academicis de Pindaro libellis semel actas iterum ago quam maximas. Sed quo eae ex copiis nostris, quae serius allatae sunt, nova continebant pauciora, eo tuli levius, quod aliorum codicum nanciscendorum spes me fefellit. Ita libri Norimbergensis, quem memorat de Murr descr. urb. Norimberg. p. 95. copia mihi esset facta, nisi ante decem annos a Gallis raptus esset, ut nunciavit Lud. Heller, eius urbis gymnasii professor humanissimus. Etiam Vindobonensium librorum lectiones ad me perventuras esse speraveram: sed ad irritum cecidit haec exspectatio, ac quum de exigua utilitate inde redundatura mihi persuaserim, neque aliter iudicasse Frid. Aug. Wolfium, dum eos Vin-

## E D I T O R I S.

IX

dobonae perlustraret, clari cuiusdam viri litteris certior sim factus, profecto non est, quod doleam magnopere. Ex Leidensibus quoque unus bombycinus, Olympia continens cum scholiis, nescio quo casu fugit amicum, qui eos mihi contulit.

Horum autem librorum reliquorumque, qui adhuc in Bibliothecis latent, maxima pars sola Olympia, pauci Pythia et Nemea, Isthmia paucissimi complectuntur, et seculo XV. in Italia scripti sunt plerique, nonnulli etiam seculo XVI. aliquot vero priore aetate, seculo XIII. aut XIV. ut Parisinus primus, Gottingensis, Mediceus alter, alii. Qui supersunt, omnes centenarium fere numerum complent: nobis uti licuit triginta septem. Ex quibus congesta variarum lectionum farragine, facile erat intelligere, non ex uno omnes libro derivatos esse, sed plures fuisse poetae recensiones, quarum alii aliam referrent. Non nunc animus est dicere de Alexandrinis grammaticis: quamquam Byzantium Aristophanem haec carmina in ordinem redegissemus novimus ex Pindari vita a Thoma Magistro edita: Aristarchi quinetiam, Aristodemi, eius discipuli, Asclepiadae, Callistrati, Chaeridis, Chrysippi, Didymi, Dionysii Phaselitae, aliorumque veterum interpretum, quorum nomina collegit Io. Alb. Fabricius *Bibl. Gr. T. II. p. 65 sqq.* Harl. passim mentio fit in veteribus scholiis, nonnullorum etiam apud Athenaeum, Lactantium, alios. Horum sane auctoritate invaluit, ut quaedam lectiones ab ipsis repositae etiam nunc in textu legantur, aliae olim in quibusdam circumlatae sint codicibus; quid vero in suis libris habuerint, ex vetere imprimis Scholiaste cognoscas. Atqui iam tum librariorum vitiis inquinatum poemam fuisse, non est, quod mirere: verumtamen plurima decem prioribus post Christum seculis nata esse liquet errore librariorum, qui partim in scribendo laberentur, partim interpretamenta pro genuinis vocibus in textum immitterent. His igitur mendis contaminati

B

libri erant plurimi: sed ferenda haec fuissent, nisi accessissent nova recentium Graeculorum licentia de Pindaro bene mereri studentium. Et Olympia quidem omnium maxime novitiorum grammaticorum manus experta sunt, non nihil Pythia, longe rarius Nemea et Isthmia: et accidit, ut unus idemque codex plures, quod non solet, Pindari partes complectens, Olympia ex interpolato, Pythia ex puro ab interpolatione libro transcripta praebeat. Itaque in Olympiis Aldum et, qui cum eo consentiunt, libros ad germanam poetae scripturam propius accedere, Romanam mirum quantum ab ea differre animadverti: sed in Pythiis Aldina passim interpolationem redolet, Romana purior est quam in Olympiis, licet non omnino ab eiusmodi corruptione libera. Sed potior familia in Olympiis Aldinam tenens lectionem, in Pythiis ad Romanam propius accedens, etsi multa hos libros insederunt eaque nequissima vitia, tamen recentium criticorum opera vitiata non est, et convenit fere cum antiquis scholiis, quae adscripta solent esse: altera vero eaque deterior classis, in Olympiis cum Romana conspirans, eam habet scripturam, quam scholia recentiorum sequuntur, et ab ipsis horum auctoribus recensita est; quae quidem recensio quum librariorum errores tolleret permultos, plures intulit novos, quam omnes priorum criticorum editiones, ex quibus hinc inde ductas esse etiam meliorum librorum lectiones, non negabit is, qui in hac re diligenter versatus sit. Attamen nisi prioris familiae libri passim correcti ex interpolatis essent, multo forent praestantiores; sed et Aldus ceterique haud raro a meliore scriptura desciscunt, quamquam non omnes iisdem locis. Iam recentiorum scholia tantum ad Olympia pertinent: itaque in haec potissimum eorum, qui illa confecerunt, pravas coniecturas illatas videmus: neque tamen defuere, qui Pythia simili dignarentur cura: quodsi haec ex secundo

## E D I T O R I S.

XI

codice Parisino expressa essent, non pauciores in iis interpolati loci reperirentur. Sed scholiorum recentiorum auctores nominantur Thomas Magister, Manuel Moschopulus Cretensis, atque, ut praeteream Ioannem Tzetzam, de quo Heynius in praefatione dixit, Demetrius Triclinius. Demetrio cur tribuantur, causa est haec Romani editoris annotatio: *Οἱ νομίζαντες τὰ σχόλια ταῦτα Δημητρίου εἶναι τοῦ Τρικλινίου τούτου ἕνεκα οὕτως ὑπέλαβον. εὐρέθη γὰρ ἔν τινι τῶν παρ' ἡμῶν ἀντιγράφων ἐπισημειώσεις οὕτω λέγουσα· Ἰστέον ὅτι τὰ γραφέντα περὶ τῶν κῶλων ἐν ἀρχαῖς πάντων τῶν Ὀλυμπίων ἐπισημειώσεων καὶ τοῦ πρώτου μόνου τῶν Πυθίων παλαιά ἐστὶ, διωρθώθη δὲ παρὰ τοῦ ἡμετέρου σοφιστοῦ ἧτοι μυσταγωγῶ κυροῦ Δημητρίου τοῦ Τρικλινίου. τὰ δὲ λοιπὰ τῶν Πυθίων ἐμετρήθη παρ' αὐτοῦ, πολλῶν τινῶν τῶν κατ' ἡμᾶς σοφῶν εἰς τοῦτο αὐτὸν προτρεψάντων. καὶ ὅσα δὲ ἐν τῇ βίβλῳ ἐγράφη σχόλια σημειώσεις τινὰς ἔχοντα ἐν ταῖς τῶν λέξεων ἐναλλαγαῖς, ἃ καὶ σημείον τὰ διὰ μέλανος κεφάλαια ἔχουσι, καὶ τᾶλλα τὰ κατ' ἄλλον τρόπον γραφέντα, καὶ ταῦτα τοῦ αὐτοῦ ἐστίν.* At Triclinium non tota scholia scripsisse, sed quae a decessoribus acceperat, suis annotationibus aucta edidisse satis apparet: quin nonnullae eius animadversiones ne supersunt quidem, si reperta ab Iriarte Catal. p. 446. in codice Matritensi Triclinii fragmenta ex eius in Pindarum scholiis, ut probabile est, fluxerunt: longe plurima a Thoma et Moschopulo profecta sunt. Fidem facit liber Moscoviensis secundus, in quo his scholiis praefixa est haec nota: *Τοῦ σοφωτάτου κυρίου Θωμᾶ τοῦ Μαγίστρου καὶ τοῦ Μοσχοπούλου Κρητὸς Μανουὴλ σχόλια ὅτι ἐνθάδε ἔχει ἀρχήν*: quae verba edidit iam Heynius Praef. p. 61. Continet autem codex praeter haec scholia nonnullis locis pleniora breves in margine annotationes, quibus praecipue eae, quae in textum

B 2

receptae sunt, lectiones tamquam meliores prioribus laudantur; haud pauca vero ob metrum et constructionem ab iisdem mutata esse indidem intelligitur. Neque alii scholiorum auctores vocantur in codicibus Augustano, Vindobonensi, Matritensi, e Reisero, Nesselio et Iriarte allatis a Fabricio et Harlesio Bibl. Gr. T. II. p. 67. et in binis Venetis, A. et E. Ex quibus Matritensis liber tantum in decem priores Olympiorum odas scholia continet: neque ulterius pertinent in Hafniensi, in quo desinunt post decimi carminis metrorum expositionem; in eodem vero ad carmen quintum laudatur Moschopulus. Praeterea ii libri, qui scholia recentiora habent, a vita Pindari incipere solent, quae recensita est opera Thomae Magistri: *διωρθώθη δὲ παρὰ τοῦ σοφωτάτου Μαγίστρου*, dicit Hafn. nec multum discrepant Mosc. B. Rom. etc. Quibus perpensis tota haec collectio abs quodam critico facta esse videtur, qui Moschopulo non fuit antiquior, ac probabiliter a Triclinio; quapropter huic post illos haec debetur Pindari sive recensio sive corruptio. Et Triclinius quidem etiam in Sophocle satis est licenter et incaute versatus. Ad eandem sententiam ducit et scholium ineditum ad Ol. VIII, 10. ubi in Mosc. B. additur: *Οὐ χρὴ ἀνεταί γραφῆσαι οὐδὲ εὐσεβείας, ἀλλὰ πληρέονται καὶ εὐσεβέων καὶ λιταί. οὕτω τε γὰρ ἔχει πρὸς τε τὴν σύνταξιν καὶ τὸ μέτρον ὀρθῶς. οὐ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ πολλὰ ἕτερα ἐκαινοτομήθη τῷ σοφωτάτῳ Μοσχοπούλῳ κἀμοῖ, ὡς ἐξετάζων εὐρήσεις, ἀνοικείως ἔχοντα πρὸς τὸ μέτρον.* At ipsi rursus interpolati libri hoc inter se nomine differunt, quod in nonnullis, ut in Lipsiensi et Cygneo, scholia recentiorum sunt minus plena, textus vero magis purus: nempe hi Thomae tantum et Moschopuli, non item Triclinii continere animadversiones videntur, ideoque non tantas, opinor, quantas ceteri, mutationes passi sunt. Postremo in Nemeis quoque duae



## E D I T O R I S.

XIII

codicum reperiuntur familiae: ex quibus altera cum antiquis scholiis fere consentit, ut Augustanus tertius et Mediceus alter, quique cum iis conspirant: altera minus est praestans, ad eamque Mediceus prior, Parisiensis secundus, quique iis affinis est, Aldinus liber, sunt referendi. Isthmiorum codices ita congruunt, ut diversas eorum recensiones fuisse non sit quod statuas.

Haec de Pindari libris summatim dicta sufficient: exempla interpolationis qui desideret, adeat is emendationum specimina in iis, quae supra dixi, commentationibus prolata, quibus hoc loco repetendis supersedere me posse arbitrabar: potius accuratorem librorum recensendo textui adhibitorum indicem subiiciendum duxi: quem si prius, quam haec dicta essent, exhibuissem, minus intellecturus fuisses ea, quae de singulorum codicum indole disputavi, paucis quidem verbis, sed, mihi crede, religiose pensitata uniuscuiusque origine et auctoritate. Libris igitur usus sum his.

A L D. Πινδάρου Ὀλύμπια, Πύθια, Νέμεα, Ἴσθμια. Καλλιμάχου ὕμνοι οἱ ἐδρισκόμενοι. Διονυσίου περιήγησις. Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα, τὸ σκοτεινὸν ποίημα. Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia. Callimachi Hymni, qui inveniuntur. Dionysius de situ orbis. Lycophronis Alexandra, obscurum poëma. Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri, mense Ianuario. MDXIII. 8. Haec est editio princeps, textum continens sine scholiis, quae, ut ipse Manutius in praefatione ad Andream Navagerium, Patricium Venetum, diligentissimum Pindari cultorem, pollicetur, una cum commentariis in Hesiodum, Sophoclem, Euripidem, Aeschylum, Theocritum, Oppianum, uno volumine erat editurus. In Olympiis Aldus codicem expressit potioris familiae, sed multis librariorum mendis inquinatum: in ceteris aut alium aut ex alio transcriptum librum ope-

ris excudendum dedit, et eum quidem a genuina scriptura passim abhorrentem. Quam sententiam illustrabunt notae nostrae: quamquam longe aliter iudicabat Heynius, duplicis Pindaricorum codicum familiae ignarus.

ROM. Ὀλύμπια, Πύθια, Νέμεα, Ἴσθμια. Μετὰ ἐξηγήσεως παλαιᾶς πάνυ ὠφελίμου καὶ σχολίων ὁμοίων. *Impressi Romae per Zachariam Calergi Cretensem, permissu S. D. N. Leonis X. Pont. Max. ea etiam conditione, ut ne quis alius per quinquennium hos imprimere aut vendare libros possit: utque, qui fecerit, is ab universa Dei ecclesia toto orbe terrarum expers excommunicatusque censeatur.* Prodiit ex aedibus Augustini Cisi, ejusdem sumptibus, hortatu Cornelii Benigni Viterbiensis, a. MDXV. d. XIII. August. 4. Si Heynium audimus, Calliergus in Olympiis emendatiores, quam Aldus, libros adhibuit: quod verum est, si emendationum appellationem merentur correcti illi et interpolati ab recentibus Graeculis. Ceterum haec editio non mera est codicis impressio, ut Aldina; sed qui eam curavit, Calliergus passim ex scholiis textum emendavit. Nempe in hac primum accessere scholia et vetera et nova; cum novis autem in Olympiis Romanus textus maxime conspirat: in ceteris Pindari partibus ad germanam lectionem magis accedit, quamquam non omnino liber est ab interpolatione et vitiis.

PAL. A. Liber membranaceus bibliothecae olim Palatinae Heidelbergensis num. 190. forma quadrata, a Schmidio negligenter collatus, et ab eodem atque Heynio ceteris Palatinorum praelatus. Continet Hesiodi opera et dies, Theocriti idyllia novem priora, et Pindari Olympia, eaque, quantum ex paucis lectionibus ab Erasmo enotatis intelligere licet, correctae ad interpolatam recensionem, quamquam nonnullae resedere lectiones cum Aldo conspirantes.

## E D I T O R I S.

xv

Consentit maxime cum Pal. B. praeterea cum Bodleianis, Guelpherbytano, Vratislaviensi ceterisque ex eo genere.

PAL. B. Codex chartaceus in folio minori ejusdem bibliothecae, num. 128. ad eandem pertinens familiam, sed tamen deterior priore. Continet Olympia, in quibus ex utroque hoc Palatino Schmidius quaedam egregie, alia perperam restituit. Adscripta sunt Scholia et paraphrasis; et in eodem codice insunt quaedam Galeni, Aristophanis et aliorum.

PAL. C. chartaceus, in folio, Palatinae bibliothecae num. 40. continens Olympia et Pythia cum interlineari paraphrasi et scholiis marginalibus. Quem etsi cum Pal. B. quocum nihil fere commune habet, Heynius exigui dicit usus et auctoritatis, tamen non vereor laudare tanquam optimum, quippe nusquam interpolatum ideoque in Olympiis cum Aldo maxime facientem. Quod vero Heynio ob ipsum id ex Aldino libro transcriptus aliquando videbatur, ac rursus aliquando idem, qui Gottingensis: hoc iudicium eo redit, ut omnes ex communi fonte fluxisse sint dicendi: multoque magis etiam Moscoviensium prior consentit cum Aldi textu, nec minus, quam Pal. C. et Gottingensis, alii libri, ut Parisiensis primus, Augustanus alter et ceteri ejusdem familiae. Praeterea Gottingensis etiam ex Nemeis aliquid habet, ab recente quidem additum librario, sed non certe post Schmidium et Sylburgium. Praeterea codex continebat ante Pindarica Sophoclis Aiacem, Electram, Oedipum, post Pindarica Dionysii Periegesin, Lycophronis Alexandram, Oppiani Hali-eutica cum scholiis, Arati Phaenomena, Homeri Iliadem et alia, quae omnia enumerat Sylburg. Catal. Mss. Græc. bibl. Palat. p. 16. 17. in Monumentis pietatis et litt. Unde quidem apertissimum est simillimo libro usum esse Aldum,

qui eodem volumine Pindarum, Dionysii Periegesin et Lycophronem ediderit et in praefatione Oppianum proxime promiserit.

**BODL. α.** Liber manuscriptus bibliothecae Bodleianae num. 751. 89. olim donatus inter alios a Guilelmo Laudo, archiepiscopo Cantuariensi, et collatus ab Oxoniensibus. Continet Euripidis Hecubam, Sophoclis Aiacem, Electram et alia, Hesiodi opera et dies, Theocriti idyllia octo, deinde Iliados α, β et ante Homerica collocata Pindari Olympia, sed ad vulgarem modum interpolata; et quum parum discreparet a recepto, hoc est, interpolato textu, paucissimae inde notatae sunt variae lectiones. Concinit autem potissimum cum Bodleiano quarto et Augustano primo, Palatinisque primo et altero. Omnibus hujus codicis libris adscripta sunt scholia.

**BODL. β.** Bodleianus in classe Barocciana num. 46. continens Olympia cum scholiis, quae non multum diversa sunt a nostris, et Pythii carminis primi certe vss. 1—86. secundum vulgatam descriptionem, ubi ultimo loco citatum reperio. In Olympiis ad deteriore pertinet familiam. Ceterum eisdem codici insunt Hesiodi opera et dies, Batrachomyomachia ac Musaei Hero et Leander.

**BODL. γ.** Bodleianus in eadem classe num. 62. complectens Olympia cum scholiis, Pythia et Nemea I—III. sine scholiis. In Olympiis ei maxime convenit cum Bodl. β. in Pythiis cum Aldo, et in his quidem ac Nemeis satis est praestans.

**BODL. C.** Bibliothecae Bodleianae donatus a Guil. Laudo, ab Oxoniensibus vocatur C. 71. et continet Olympia cum Pythiorum parte, in quibus ad IV, 367. vulgatae descriptionis ultimum citatur. Et hic quidem non tantum in Olympiis concinit maxime interpolatis, ut Moscoviensi alteri, sed in Pythiis

## EDITORIS.

xvii

quoque a metrico nescio quo coniecturis vitiatus est, quamvis cetera haud contemnendus. Hunc in Catalogo Mss. Angliae et Hiberniae eodem anno, quo Pindarus Oxoniensium, edito, non invenio, nisi is est, qui p. 56. inter Laudi libros num. C. 713. 71. refertur, ubi tamen Pythiorum nulla fit mentio.

**BODL. Ms.** Hoc nomine Oxonienses notant librum sola Olympia complectentem et cum Bodl. *α.* et ceteris interpolatorum maxime consentientem. Distinguunt eum diserte a Bodl. C. 71. In Catalogo Mss. Angliae et Hiberniae p. 56. inter Guil. Laudi donaria in armario C. referuntur Pindari Olympia Graece 713. 71. sed non liquet de eo libro, ut ad praecedentem annotavi.

**GOTT.** Codex bombycinus ex bibliotheca Georgiae Augustae, folio minori, vetustate et situ haud parum attritus, Nicandri Theriacis et Alexipharmacis praefixa habens Olympia, Pythia et Nemea I—III. cum scholiis veteribus partim integrioribus, glossis interlinearibus, et notis margini adscriptis, quae petitae sunt ex recentiorum scholiis. Seculo XIII. aut XIV. videtur scriptus esse, et ex Italia allatus est ab Io. Nadlero, Duci Saxon. Coburg. Meinung. olim a consiliis secretioribus et senatus ecclesiastici praeside. Liber est optimae notae, in Olympiis cum Aldo et Pal. C. et purissimo ab interpolatione quoque consentiens. Prima Olympiorum oda a recentiore manu ex alio codice, eoque deteriore, in charta suppleta est, quum in vetusto deperiisset; item Pythiorum ultimi viginti versus secundum vulgarem descriptionem, nec non Nemea, in quibus cum optimis codicibus conspirat. Varietas lectionis ex hoc libro accurate enotata est in Bibliotheca

C

philol. Lips. 1779—1780. Vol. I, II. Eiusdem descriptionem suppeditat Heynius Praefat. ad Pind. p. 59.

**CIZ.** Codex Olympiorum chartaceus bibliothecae Cizensis, cuius usum Hermanno concessit Müllerus, rector scholae episcopalis, quae Cizae est. Insunt scholia vetera, sed metrica nulla, nisi ad Ol. II. quae edidit Hermannus in edit. Heynii Vol. III, P. I, p. 205—207. Codex est optimae notae conspirans cum Aldina et ceteris huius generis.

**LIPS.** Liber Olympiorum ex bibliotheca Paullina Lipsiensi. Is dicitur Cizensi longe esse antiquior, scriptus in charta Pergamenae simillima, forma quadrata, cum scholiis recentiorum et glossis interlinearibus, et Theocriti octo prioribus idylliis Hesiodique operibus et diebus, utrisque non sine scholiis. Servatus est pessime, et quaedam folia plane perdit, quorum duo a manu admodum recente in charta sunt restituta. Contulit Hermannus, quem v. ap. Heyn. Tom. III, P. II, p. 396, 397. Codex est interpolatus, ut vel recentiora scholia ostendunt, non tamen toties, quoties Romana et Moscoviensis alter. Eadem prorsus, quae Lipsiensis, continent Pal. A. Bodl. α. et Aug. A. nec discrepant lectiones: ut facile cernatur, hos omnes ex eodem provenisse fonte.

**CYGN.** Varietas lectionis Olympiorum X—XIV. ab Io. Aloys. Martyni-Laguna accuratissime enotata ex fragmento bibliothecae Cygnaeae. Incipit ab Ol. X, 122. vulgatae descriptionis, et pertinet ad classem leviter interpolatorum, ut Lipsiensis. Habet autem scholia et vetera et recentia, sed haec minus plena, nempe sine illis additamentis, quibus hanc collectionem auxit criticus inter Graeculos recentissimus.

## E D I T O R I S.

XIX

**GUELPH.** Codex chartaceus bibliothecae Guelpherbytanae nunc suis ornamentis et redivisus privatae, a Car. Dati Nicolao Heinsio Florentia olim dono missus. V. Burckhard. Hist. bibl. Guelph. P. I, p. 218. Complectitur Olympia et Pythia, nullis prorsus scholiis, nullis glossematis; sed nitide atque accurate scriptus est, quanquam a manu satis recente, forma octonaria. In textu Olympiorum refert fere Romanam editionem; at meliores lectiones supra adscriptis partim ipse librarius, partim doctus quidam homo recentior. Ol. VIII, 53. adscriptus est adeo Latinus versus: *Trahit sua quemque voluptas*; et Ol. XIII. supra vocem *καρταίποδ'* adscriptum *bovem*. Atque haec sunt a manu recentissima. In Pythiis facit fere cum Rom. et Gott. Ceterum liber est bonae notae, nec paucas continet optimas lectiones.

**HAFN.** Liber chartaceus bibliothecae Rostgaardensis, deinde Hafniensis, forma quadrata, aetate satis recente, nec pulchre scriptus, sed profuse, paginis LXV. complectens Olympiorum I—XIII. undenas autem lineas singulis paginis. Additae sunt glossae interlineares et scholia recentiorum desinentia Ol. X. post metri descriptionem. Emptus est Venetiis a. 1699. Tres priores odas cum eo libro contulit in Heynii usum B. G. Niebuhr, nunc Potentiss. Boruss. Regi a consiliis reipublicae: unde intellexi librum non magni esse pretii. Haud dubie vero ad classem interpolatorum est referendus: quapropter ceterarum lectionum non magnum est desiderium.

**MOSC. A.** Codex chartaceus bibliothecae typographi synodalis Moscoviensis num. 5. forma quadrata sec. XV. ineunte scriptus, praeter quosdam libellos poeticos continens Olympia sine scholiis, et cum Aldo unus omnium maxime conspirans, neque tamen ita, ut ex Aldina possit descriptus esse, ne-

C 2

que haec ex ipso. Contulit eum Frid. Christ. Matthaei; sed nihil inde capere licuit, quod aliunde nondum innotuisset.

**Mosc. B.** Chartaceus eiusdem fere aetatis, forma octonaria, a Gregorio quodam scriptus, qui in calce haec posuit: Ἐτελειώθη ἡ βίβλος αὕτη διὰ χειρὸς ἐμοῦ τοῦ ἀμαρτωλοῦ Γρηγορίου. Complectitur Olympia cum scholiis recentiorum passim plenioribus, glossa perpetua et notis quibusdam in margine positis, quae lectionis spectant varietatem; intercidit tamen unum et alterum folium. Quem a Calliergo quodam Moscoviae acceptum Chr. Fr. Matthaei Heynio donavit, hic in bibliothecam Georgiae Augustae intulit; ego vero, quum accuratius inspicerem, mirum quantum interpolatum esse cognovi, sed ex hac ipsa re non mediocrem cepi utilitatem.

**Vratisl. A.** Codex bibliothecae Rhedigerianae Vratislaviensis memoratus a G. Kranzio Memorabb. p. 88. Eum Kranzius in notitia inedita manuscriptorum bibliothecae Rhedigerianae ita describit: *Codex hic, inquit, curiosus et elegans Pindari poemata integra continet, chartae densissimae et laevigatae, accurata diligentia, caractere denso et distincto, abbreviationibus licet pleno inscripta, sine dubio circa Constantinopolis occupationem. Involucrum ipsum a nostris diversum, Graecum compingendi morem refert, suaque integritate laudari meretur.* Haec ille; sed sola continet Olympia cum scholiis et interlinearibus glossis, multaque in eo cernuntur scripturae vitia. In nonnullis partibus genuinas refert lectiones, ut in prima oda: in plurimis autem ad Moscoviensem alterum et ceteros interpolatorum declinat, quod exemplis demonstrare possem permultis, nisi vel eae lectiones, quae in annotationibus a me edentur, eius rei facerent fidem.



## E D I T O R I S.

XXI

**V R A T I S L. B.** Codex Olympiorum in eadem bibliotheca eiusdem fere aetatis, sed ita foede scriptus, ut lectu difficillimus esse dicatur. Quum ex variis in primo carmine lectionibus; quae ad me missae erant, nihil fausti augurari liceret, nolui rogare, ut is conferretur, sed tantum in prima oda potiores inde lectiones enotavi.

**L E I D. A.** Est Olympiorum codex chartaceus ex bibliotheca Isaaci Vossii num. 128. quaternis, sed vitiosissime scriptus, addita ab eodem librario interpretatione interlineari, plerumque poëtica et Dorica vocabula communibus explicante, neque vero perpetua, sed ubi nihil obscurum esse videbatur, cessante. In qua reperiuntur quaedam ex scholiis recentibus excerpta, ex quibus, ut ex interlineari annotatione, specimina ad me missa sunt, scholiorum quidem ex Ol. XIII. glossarum vero ex Ol. XIV. sed omnia transcribendi laborem dissuadente recte Wyttenbachio omisit Moserus noster, neque eas animadversiones valde exoptavi, quamquam suam operam benigne offerente Belgico homine Coxio. Videtur fere in modum Palatinorum primi et alterius, Lipsiensis, Vratislaviensis prioris et similium interpolatus esse.

**L E I D. B.** Liber chartaceus eiusdem bibliothecae, num. 135. forma quadrata, complectens Olympia cum scholiis recentioribus, non multum discrepantibus ab impressis, deinde Pythiorum partem sine scholiis usque ad VI, 4. ed. vulg. In Olympiis consentit cum interpolata editione magis quam prior, in Pythiis maxime cum Aldo, Bodl. γ. aliis, ac, si recte relatum est, priore videtur vetustior.

41 **P A R. A.** Liber bibliothecae imperialis Parisinae, num. 2403. bombycinus, olim Boistallerianus, continet praeter alios auctores Olympia, Pythia, Nemea usque ad IV, 111. ed. vulg. deinde a Nem. IV, 57. usque ad VI, 74.

Scholia sunt eadem, quae in editis, nisi quod quaedam alia insunt admodum levia; glossae interlineares in hoc, ut in ceteris, nullius sunt pretii. In Olympiis sequitur veterem textum Aldinae et potioris codicum familiae: nec mirum, quum is sec. XIII. hoc est, ante interpolatam recensioem scriptus sit: quapropter omnibus lectionibus per cam illatis caret, neque aliis nisi antiquioribus mendis et librarii vitiis est inquinatus.

PAR. B. Chartaceus, num. 2882. sec. XVI. scriptus, forte incidit in eius docti manus, qui eum contulit, et complectitur Pythia integra, deinde Nem. I, 1. — II, 27. et Isthmia IV, 53. — VII, 27. ed. vulg. Qui in Olympiis est Moscoviensis alter, idem fere in Pythiis hic habendus est, quippe plurimis locis a metrico adhibita diligentia interpolatus, ita ut non modo cum Bodl. C. sed cum Erasmo Schmidio, qui eadem via Pindari emendationem tentabat, haud semel consentiat. Ceterum ubi non correctus est, inprimis in Pythiis, optimas servavit lectiones et fluxit manifeste ex bono et antiquo libro. Affinis est in Pythiis praeterea Bodl. γ. et mox Gottingensi; cetera Aldinum potissimum textum referunt adeo, ut vel in absurdissimis scripturis ei concinnat, ut Nem. III, 15. uterque habet τὰν pro τεὰν, et vs. 17. στοκάλῳ ματοδέων pro στόλῳ καματώδεων. Hoc ultimum quum typhothetae mendum videretur, putabam eum in Nemeis et Isthmiis ex Aldo descriptum esse: mox tamen, cum intelligerem Parisiensem librum pleraque propria habere, abieci hanc sententiam, et ipsae lectiones a me enotatae aliter habere ostendent. Nempe nunc iudicandum est istud mendum ex omissione syllabae κα esse natum, quae deinde alieno loco inserta esset in eo codice, ex quibus Par. B. et Aldinum exemplar promanasse statuendum. Illud vero notes, quasdam lectiones a Gerardo Falkenburgio margini Brubachianae editionis allitas et a Mosero

## E D I T O R I S.

III

meo mecum communicatas in hoc reperiri codice: de quibus in animadversionibus monebo singillatim.

**P A R. C.** Est codex num. 2884. membranaceus, forma quadrata, scriptus sec. XV. exeunte. Hic solus liber inter Parisienses omnes continet integra Isthmia, ideoque eum saltem in his curavi conferendum. In quibus concinit cum Aldo; sed in calce decem versus ineditos habet subiectos eosdem, qui in binis Florentinis num. 41 et 52. ap. Bandin. Catal. codd. Gr. bibl. Medic. T. II, p. 201. 210. indicantur, et edentur a me in annotationibus.

**A U G. A.** Olim Augustanus ap. Reiser. p. 83. nunc inter Monacenses copias num. 470. chartaceus, ut videtur sec. XV. forma quadrata, qui completitur Theocriti idyllia octo, Hesiodi opera et dies et Pindari Olympia. Recentior manus glossas interlineares exigui pretii intexuit et lectionem a prima manu exaratam passim mutavit vel radendo vel delendo vel corrigendo. Huius libri lectionem ex primo carmine enotatam agnovi inter collectanea excerpta ab Heynio mihi concessa, ubi dicitur idem esse, ex quo Reiskius miserit varias lectiones. Et Heynio quidem aut ex Aldina transcriptus aut ex communi fonte cum Pal. C. et Bodl. C. profluxisse videtur: quam valde miror sententiam, quum ad interpolatam pertineat familiam eandem, ad quam Bodl. α. Lips. Pal. A. B. ac sane etiam Bodl. C. id quod non modo ex iis, quae dixi ad Lipsiensem codicem, sed ex ipsis ab Heynio delibatis speciminibus et ex accuratiore collatione lectionis inter nostras animadversiones edendae apparet liquidissime.

**A U G. B.** Olim Augustanus apud Reiser. l. I. nunc Monacensis num. 550. continet Pindari Olympia cum scholiis in margine et glossa inter lineas, praeterea nonnullos Orphei hymnos et descriptionem improbae ac probae mulieris

**Bulgar. chartophyl.** Liber est optimae notae neque interpolatione corruptus.

**AUG. C.** Olim Augustanus in Reiseri Catalogo p. 81. inter Monacenses notatus num. 565. sed abs quaerentibus meo rogatu ibi non repertus, quem in amissis esse Heynio iam nunciatum erat Augusta Vindelicorum. V. praef. ed. noviss. p. 58. Insunt Nemea integra et Isthm. I, 1—40, ubi librarius scribere desiit, sed sine scholiis. Est sec. XV. octonis, sed ex bono codice transcriptus; in quo quae librarius assequi non potuit, eorum loco vacuo relicto, in manuscripto puncta posuit.

**AUG. D.** Est codex quaternis scriptus sec. XV. olim Augustanus ap. Reiser. p. 78. nunc Monacensis num. 486. cui insunt Demosthenis orationes aliquot, pars Promethei Aeschylei et tres Pythiae odae priores ac primae Nemeae particula, hae cum scholiis, praeterea Olympiae primae stropha prima, sed sine scholiis. Eundem tractavit Reiskius praef. in Demosth. p. LXIX. LXX. et recte Heynius arbitratus est, ex hoc Schmidio varias lectiones trium Pythiorum carminum priorum misisse Dav. Hoeschelium, quum eo tempore nondum alius in Augustana bibliotheca Pindari liber extaret. Codex est non malae notae: quanquam collatio, qua usus sum, parum est accurata.

**AUG. E.** Olim Augustanus ap. Reiser. p. 79. nunc Monacensis num. 492. praeter Aristophanis comoedias aliquot continens scholia in Isthmia et particulam Nemeae odae I. vs. 1—58. ed. vulg. cum scholiis.

**VEN: A.** Codex Venetus bibliothecae Marcianae num. 444. olim Bessarionis Cardinalis, chartaceus, quaternis scriptus sec. XV. in quo Olympia glossis interlinearibus distincta tractis ex scholiis Thomae Magistri et Manuelis Moschopuli. Additae sunt Pythiorum odae quatuor priores cum scholiis nonnullis.

## E D I T O R I S.

xxv

Hic quum ad classem deteriore[m] pertineat, praeter primam Olympicam nolui eum ulterius conferri.

VEN. B. Eiusdem bibliothecae num. 465. olim Bessarionis, chartaceus, quaternis scriptus sec. XV. in quo Olympia et Pythia sine scholiis. Bonus liber est in Olympiorum prima, cuius lectiones habeo: in Pythiis eum passim cum Bodleianis, Gottingensi, Parisiensi altero, imprimis autem cum Guelpherbytano vidi consentientem, qui prorsus eadem et similiter sine scholiis complectitur. Interpolatione turbatus non est.

VEN. C. Bibliothecae Marcianae num. 466. Bessarionis, chartaceus, quaternis scriptus sec. XIV. in quo sunt Olympia cum glossis interlinearibus et scholiis editis inter recentiora. Ad interpolatos igitur referendus est, nec collationem habeo quam primae odae.

VEN. D. Num. 475. olim Bessarionis eiusque iussu descriptus, membranaceus in folio, sec. XV. in quo inter Aristophanem et Lycophronis Alexandram Pythia et Nemeorum tria priora carmina integra cum parte quarti continentur. Scholia sunt vetera, inedita pauca; quae differunt a vulgatis, eadem fere sunt quae in Gottingensi, ut Morellius notat collato scholio, quod ex hoc depromserat Heynius ed. pr. Latin. p. 125. Concinit igitur maxime cum Gottingensi, qui eadem fere carmina habet, nisi quod in tertio Nemeorum deficit; deinde cum Bodl. γ. Aug. E. Par. A. etiam cum Aldo, rarius cum Romana. Ceterum, quod memorabile est, Venetus quartus desinit Nem. IV, 111. ed. vulg. ubi et Par. A. finitur, exceptis paucis versibus ex Nem. VI. Parisiensi subiectis; ideoque proxime affines esse probabile est, firmantibus id lectionibus, quamquam non ita inter se conspirantibus, ut alter possit ex altero transcriptus videri.

D

**VEN. E.** Num. 478. Bessarionis, chartaceus, quaternis scriptus sec. XV. continens Olympia cum scholiis Thomae Magistri et Manuelis Moschopuli. Itaque est ex interpolatis, neque eum ultra primam Olympicam conferri volui.

**VEN. F.** Codex bibliothecae Marcianae, post indicis impressionem illatus, sec. XV. quaternis scriptus manu Caesaris Strategii Lacedaemonii, quem Montefalconius in *Diar. Ital.* p. 48. (cf. eiusdem *Palaeogr. Gr.* p. 82.) putat e numero fuisse Graecorum, qui a Laurentio Medice Florentiam evocati sunt, ut codices conscriberent. Insunt Olympia et Pythia cum scholiis veteribus iisdem, quae Veneto quarto, adeoque Gottingensi et Parisiensi primo continentur. Liber est optimus tum in Olympiis, ut apparet ex collatione primae odae, tum in Pythiis, ubi cum Ven. D. passim, licet non omnibus locis, cum *Gott. Par. A.* et aliis consentit, idque cum *Par. A.* vel in manifestis vitiis.

**VEN. G.** Codex chartaceus, quaternis scriptus sec. XVI. olim bibliothecae ss. Ioannis et Pauli, nunc Marcianae, continens Olympia et Pythiorum quatuor priores odas sine scholiis: ex quo excerptis primae odae lectionibus sum usus. Consentit maxime cum Ven. C. E. nec magnae est auctoritatis.

**MED. A.** Ex novem bibliothecae Mediceae libris duos, qui integrum Pindarum continent, cum Nemeis et Isthmiis conferendos curavi. Prior num. 41. ap. Bandin. T. II, p. 201. ap. Montefalcon. p. 507. membranaceus est sine scholiis, et in fine habet novos versus eosdem, qui in Parisiensi tertio reperiuntur. Conspirat autem cum Aldo et Parisiensium altero, et in Isthmiis imprimis cum tertio etiam Parisinorum et altero Mediceo. Scriptus est sec. XVI. et adiecta habet Hesiodi opera et dies, ut alii bene multi.

**MED. B.** Num. 52. ap. Bandin. p. 210. ap. Montefalcon. p. 508. chartaceus, sec. XIV. scriptus cum scholiis, quae usque ad vs. 157. (vulg.) ulti-